



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

71. Cap. Orandum est, ut Dei nomen Sanctificetur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](#)

Milites conscribuntur, exercitus conflantur, bona oppignerantur, quin & ipsa vita in discrimen adducitur, expugnandæ alicujus urbis causâ, ut terreni cuiusdam regis imperium stabiliatur, utque is summa rerum ibidem administret.

Verum, ut Deus Rex Regum in regionibus, ubi ejus gloria pessum datur, & jugum ejus excutitur, innumeris animabus imparet, vix pedem movemus, aut numimum erogamus in alimentum Apostolicorum virorum, qui diu noctuque, per mille viæ pericula, in sudore vultus, ibidem laborant.

Cadit asinus, inquit S. Bernardus, & invenerit qui se sublevat; cadit anima, & non est qui manum apponat. Quid eheu! ô Christiani decidistis?

Nullus labor, nullus dolor, nullus sumptus nimius est, ut in Cælum transferatur anima, quam Dei Filius preciosissimo suo sanguine in spem salutis afferuit.

### CAPVT LXXI.

Orandum est, ut Dei nomen Sanctificetur.

**C**hristus orandi præceptis nos erudiens, docet ante omnia ab æterno Patre postulandam ejus nominis Sanctificationem,

cationem, regni ejus adventum, & voluntatis ipsius in terrâ, sicut in Cælo, executionem; deinde Panem nostrū quotidianum.

In omnibus itaque, quæ ad corporis sustentationem pertinent, ad Deum recurrere nos oportet; sed primum & præcipuum haudquaquam est negligendum. An non quotidie id contingit?

Missæ Sacrificia sæpenumerò peragi curantur, frequentantur Templæ per novem dies, eleemosynæ erogantur in pauperes: at nunquid in finem plerumque temporalem?

Preces fundimus, ut ardente febriliberiar; vota nuncipamus, ut lites optatum habeant eventum; peregrinationes ad pia loca instituimus, ut prole augeamur, aut ut fortunatum ineamus conjugium: totæ convenientiunt urbes, & solemnies decernunt supplicationes, ut latè grassanti pesti tandem succurratur.

Hæc equidem laudo & probo; nam in cunctis necessitatibus ad Deum configere nos oportet; at quotusquisque est, qui cibose abstinet, stipem largitur, rem Divinam offerri curat, ut nomen Dei Sanctificetur, ejusque regnum adveniat?

Filiæ charissimæ (inquiebat S. Theresia) nequaquam huc convenistis, ut pro felici terre-

narum rerum successu precationibus insistatis.

O mi Deus (clamabat alias) dum laudem & gloriā, aurum atque argentum à te postulabimus, exorari te ne siveris; quod verò ad filij tui honorem attinet, cur attentas aures non praberetis precibus illius, qui & opes, & famam & mille vias lubens tibi immolare? Enim verò Dei gloriā commodis proprijs anteferre se perspicuè demonstrabat.

Religiosi Societatis Iesu quot diebus quam plurima Sacrificia Deo ad aram offerunt, non ut pro ijs temporalem accipiant compensationem (cavetur enim in eorum constitutionibus, ne quis oblate stipendio Sacrum faciat) sed partim pro Indijs, & gentilium conversione, partim pro regionibus septentrionalibus, & hæreticorum reductione, partim pro animarum igne purgandarum solatio, partim pro benefactorum incolumentate & salute, ut hac ratione nomen Dei magis magisque ubique Sanctificetur.

Id ipsum & nobis faciendum incumbit; siquidem nil sat esse potest, ubi agitur de amplificanda Dei gloria, cuius vel minimum incrementum universo terrarum orbi præponderat.

Soli igitur Deo honor & gloria in secula seculorum. Amen.